

retracto ascendit aqua vel mercurius promptissime, in libero aëre si hæc consistunt; quando autem aër aquæ incumbens instrumento accommodato removetur & postea extrahitur embolus, nunquam aqua vel argentum vivum, in syphonem ascendet.

DEMONSTRATIO. XIX.

Aër fluidum grave est & exercet potissimum gravitatem suam in corpora aëre vacua.

*Experimenta.*

1. Vitrum quadratum antliæ orificio applicatum retractione emboli aliquoties facta, cum fragore in minimas particulas diffringitur: quod phænomenon minime observare licet in vitro spherico.

2. Embolus ex antlia pneumatica extractus clave ita disposita ne aër à tergo in antliam accedere queat, tanta vi ab externi aëris pondere reprimatur, ut etiam centenarii dimidium post se trahat.

3. Vesica orificio antliæ firmiter alligetur, hæc aëre evacuato ita comprimatur ab externo aëris pondere, ut nullo modo ejus latera manu apprehensa à se invicem dimoveri queant.

4. Marmora exactissime polita, calefacta, sevo inuncta, sibi invicem imposita, ita elapsis aliquot horis cohærent, ut ab aliquot robustissimis viris non possint rursus à se invicem separari.

5. Hæmisphæria duo cuprea invicem sibi adaptentur, cerâ occlusis fissuris: hæc ipsa in libero aëre levi opera à se  
dis-